
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

DA BOK

No. 3383.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

ORATIO,

De vita, ſtudiis, moribus, & morte,
reverendiſsimi & clariſsi-
mi Domini

D. DAVIDIS
CHYTRÆI,

*Viri incomparabilis, de eccleſia Chri-
ſtiana præclare meriti, &c.*

Recitata in Academia Roſtochienſi, pridie
Cal. Iul. poſtridie exequiarum ipſius,

A

M. IOHANNE GOLDSTEIN, *Paſtore eccleſiæ
Roſtochienſis ad D. Nicolaum.*

ROSTOCHII, *Typis Myliandrinis, Anno* M. D. C.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

Ornatiſſimis virtute & doctrina Juvenibus,

VLRICO ET DAVIDI CHYTRÆIS, fratribus, diſcipulis quondam morigeris, amicis cariſsimis, S. D.

CElebravi, quod ſcitis, ſuaviſsimi juvenes, in publico Lyceo noſtro, multis attentè audientibus, brevi elogio virtutem eximiam & mores honeſtiſsimos piè defuncti parentis veſtri, non ſanè quod hoc adeò neceſſarium eſſe ducerem, cum longè majorem omni invidia omnes noverint; aut, ſi opus ita eſſet, me parem huic rei invenirem, qui ingenii mei culpa laudes ipſius detero magis quàm illuſtro, ſed ut piis manibus debitum promiſſumq; pietatis officium præſtarem. Vos enim non fugit, quàm me ſit complexus, ex quo primum me vitæ veſtræ puerilis magiſtrum elegit, & quantum mea cauſa hucuſque voluerit, ut & manſum, quod dicitur, ex ore. Aliis quidem fuit plurimum, ſed mihi omnia, cui à patre & matre derelicto non modò patronum ſe potentem, ſed & parentem verum ſemper præbuit. Poſtquam verò hæc qualiſcunque de eo oratio typis deſcribenda erat, & natura ipſa vos omnium, quæ reliquit, hæredes legitimos fecit, illius quoque poſſeſſorem, præter vos, alium curioſè inquirere non debui. Offero igitur vobis ſingulis hoc, quod dixi, paternæ virtutis en-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

comium, eam ob cauſam, primùm, ut publicum extet ζύμ-ϐολον ſinceri inter nos amoris, quem hæreditario accepiſtis; deinde, ut in hoc tanquam in ſpeculum ſubinde intuentes, id agatis σὺν θεῷ diligenter, ut, ſicut cætera, ita virtus & gloria patris veſtri æternùm apud vos maneat, cùm non ſit obſcurum, omnes bonos ſpe ſua & votis vos ad magna vocare. Ita namque facta illius præclara cum laude in ore habere poteritis. De qua re inſignem locum ex Plutarchi Arato notabitis: Enimverò, inquit, cui generoſa indoles à majoribus innata eſt, ei, ſi ad pulcherrimum exemplum domeſticorum vitam ſuam componere inſtituerit, in felicitatis parte ponendum eſt, ſi majorum ſuorum, qui virtute aliis antecelluerunt, memoriam colat, & perpetuò aliquid de iis vel audiat, vel loquatur. Non enim propriorum bonorum penuria ſuam exiſtimationem ab aliorum gloria ille ſuſpendit, ſed majorum ſuorum virtutibus ſuas actiones annectens, ut generis, ita etiam vitæ factorumque ſuorum autores & duces eos prædicat. Hæc ille. Affectum in vos meum Chriſtianum, dextrè, ut ſpero, interpretabimini. Benè valete. Roſt. 17. Iul. Anno 1600.

M. Johannes Goldſtein.

ORA-

ORATIO.

CONvenimus nunc, eheu, in publico totius Academiæ & multorum bonorum luctu, ut præceptori & patri noſtro venerando, D. DAVIDI CHYTRÆO, Theologo & Hiſtorico præſtantiſſimo, viro incomparabili, in cujus morte irrecuperabile damnum eccleſia & ſchola Chriſtiana paſſa eſt, pro tenuitate noſtra parentemus. Vtinam propitia fata voluiſſent, nos rerum imperitos in tanta ignorantia & inſcitia noſtra hujus piè defuncti ſtudiorum noſtrorum gubernatoris præcipua conſuetudine diutius frui, & viva illius voce erudiri, major ſanè acceſſio divinæ & humanæ ſapientiæ ſtudioſis per Dei gratiam fieri potuiſſet, quando apud ſenes doctrina, pietate ac uſu rerum excultos conſilium eſt, hujus cauſa limina eorum pedibus noſtris atterenda ſunt, juxta præceptum divinum: ἐὰν ἴδῃς ἄνδρα συνετὸν, ὄρθριζε πρὸς αὐτὸν καὶ βαθμοὺς θυρῶν αὐτοῦ ἐκτριβέτω ὁ πούς σου.

Sed quia evenit, quod Domino placuit, in cujus manibus ſortes omnium hominum verſantur, ſicut Pſalmus triceſimus primus loquitur, & pietas ipſa jubet in voluntate divina acquieſcere, iiſq́ſuam beatitudinem, qui in vera in Chriſtum fide deceſſerunt, non invidere: Omiſſis votis irritis grata mente primùm ingens illud Dei beneficium agnoſcamus, quod doctrinam ſuam cœleſtem pro infinita ſua bonitate & miſericordia, in hoc mundo nobis hominibus patefacit, cuſtodit, & propagat, miniſterio fidelium Doctorum, quos eximiis donis ornatos in meſſem ſpiritualem extrudit, ut æterna ipſi eccleſia ex genere humano colligatur, quam in hac vita ſanctificet, & à qua viciſſim in omni æternitate celebretur. Deinde, cum non exigua pars ſit gratitudinis, excellentibus viris debitæ, qui in templis & ſcholis ad juſtitiam homines erudiunt, & de plurimorum ſtudiis præclarè merentur, memoriam illorum poſt mortem conſervare:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

viſum fuit, hac ipſa luce, quæ exequiarum diem ſtatim ſequitur, ſimplici ſtylo & oratione brevi vobis mœſtis & turbatis proponere Curriculum totius vitæ defuncti præceptoris noſtri, cujus domeſtica conſuetudine annos novem ſingulari Dei beneficio frui mihi licuit, cùm indignum filiorum ipſius, adoleſcentum nunc modeſtiſſimorum, præceptorem agerem; & dona Dei, quæ in eo ſingularia fuerunt, quibusq́ ſalutem publicam ſuo loco utiliter promovit, perſtringere, ut non modo Deum autorem donorum agnoſcamus & grati celebremus, ſed & doloris aliquam levationem hinc capiamus, cùm, qualis defunctus fuerit, in conſiderationem quoq́ venire debeat, ubi de conſolatione agitur.

Quod dum enitor, magnifice Dn. Prorector, reverendi, clariſſimi, conſultiſſimi, peritiſſimi, & doctiſſimi viri, nec non vos ſtudioſiſſimi juvenes, ut faciles mihi & benignas aures accommodetis, etiam atq́ etiam contendo.

Natus eſt venerandus pater & præceptor noſter Anno Chriſti 1530, quem magna illa Romani Imperii Comitia, Auguſtæ habita, & Confeſſio fidei noſtræ tum Imp. Carolo V. exhibita, celebrem faciunt, die Febr. vigeſima ſexta, ex parentibus honeſtis, qui vera illa nobilitate, pietate ſcilicet non fucata, & divinæ imaginis conſervatione, & ſimilitudine cum Deo archetypo, ut verba Nazianzeni ſcriptoris graviſſimi ſonant, nobilitari maluerunt, quàm rebus aliis, quas mundus ſuſpicere ſolet.

Pater Matthæus, Brakenheimi in ducatu VVirtenbergenſi natus, paſtor Eccleſiæ Chriſti fuit apud viros nobiles à Menzingen, in regione, quam à fluviolo perlabente Graichgæam vocant, habitantes. Is cùm videret, præclaram filioli indolem in prima ſtatim ætate ſe exerere, ſicut in Alexandro Magno adhuc puero τὸ μεγαλόψυχον ϗ τὸ φιλότιμον hiſtoriæ produnt, elementa veræ pietatis & litterarum ludendo eum balbutientem docuit, iisq́ cùm alia, tum declinationum paradigmata Grammaticalia adjunxit, quæ ita cupidè & celeriter puer velut ἐνθουσιασμῷ ad ſtudia raptus, percepit, ut pater in illo ſupra modum delectaretur, & ſpe ſua votisq́ ardentibus ad Deum quotidie fuſis ad Eccleſiæ Dei mini-

ſterium

ſterium vocaret. Intellexit enim vir honeſtiſſimus, primum ſtudium parentum in liberorum educationem atq; exercitationes conferendum eſſe, ut in παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου adoleſcant. Solet quidem natura bona interdum per ſe benè & laudabiliter agere, verùm multa etiam inter bonos fructus vitia ſæpè profert, niſi recta accedat inſtitutio, perinde atq; bonus ager, ſi non probè & accuratè colatur. Nondum igitur ſeptimum ætatis annum complentem in vicinam ſcholam Gemmingenſem miſit, & paſtori VVolffgango Buſio privatim erudiendum & fovendum tradidit, cujus fideli inſpectione & cura in Grammaticis feliciter progreſſus eſt, ut & Franciſcum Irenicum, tribus filiis ſuis, & aliis, breves Cic. epiſtolas & Saluſtium explicantem, ibidem cum fructu audire poſſet.

Ex hac ſchola, biennio elapſo, planè adhuc puer, ſtipendiolo donatus à cive quodam Brakenheimenſi, Tubingam translatus eſt ubi privatum ſtudiorum ſuorum gubernatorem Hieronymum Gerardum accepit, cujus parente VVendelino, viro optimo, pater Matthæus familiariter utebatur, deinde Iohannem Mendlinum, & Michaëlem Vajum. Cùm autem ſexennium iſthic vixiſſet, urgentibus præceptoribus, & conſentiente patre, adoleſcens pœnè annorum ſedecim ſummum in Philoſophia gradum, pro more in Academiis recepto, conſecutus fuit, publicum & illuſtre raræ virtutis & diligentiæ in ejus ætatis hominibus teſtimonium. Poſtea, ſumptus ſtudiorum liberaliter præbente viro nobiliſſimo Petro à Menzingen, VVitebergam ſe contulit, quæ totius Germaniæ ſchola tum florentiſſima & optima veræ de Deo doctrinæ & philoſophiæ univerſæ erat, ſicut olim Athenæ ἑλλάδος παίδευσις, ut Thucydides nominat, litteris Georgii Schwartzerd ad Philippum Melanthonem fratrem, & Ioannis Brentii ad D. Lutherum inſtructus. Quarum litterarum beneficio in domeſticam Philippi conſuetudinem & commune muſeum receptus eſt, ut non ſolùm ex publicis illius prælectionibus, ſed ex quotidianis quoq; ſermonibus plurimùm poſſet proficere. Hujus felicitatis ſuæ, tanquam ſummi vitæ commodi perpetuo memor, dum vivebat, nunquam ſatis paterna in ſe præceptoris merita deprædicare potuit, ſicut etiam in ſcriptis editis omnem ingenii ſui cultum, quo aliorum ſtudiis prodeſſe potuit,

tuit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

tuit, Philippo ſecundum Deum acceptum refert. D. Lutherum, Heliam noſtri ſeculi μεγαλάνδρα, decem poſtrema Geneſeos capita in ſchola enarrantem, & pro concione docentem, ultra ſeſquiannum audivit. Plutarchus refert in vita Marii, Platonem jam jam moriturum genium & fortunam ſuam laudaſſe, primùm quod Homo, deinde quod Græcus non barbarus, aut bruta beſtia natus eſſet, deniq; quod in ætatem Socratis nativitas ſua incidiſſet: multò rectiùs hic præceptor noſter communis, cujus memoria eſt in benedictione, beatum ſe dicere potuit quod homo natus eſſet, quod Chriſtianus, & quod clariſſima eccleſiæ lumina, D. Lutherum & Philippum coràm vidiſſet, compellaſſet, & de rebus longè gravioribus audiviſſet. Mortem Lutheri, die Concordiæ & Conſtantiæ anno 46. obeuntis, bellum Germanicum ſtatim ſecutum eſt, à Carolo V. Imperat. adverſus Ioannem Fridericum Saxoniæ Electorem, & alios in religionis negocio illi coniunctos, motum, quo cum Academia menſe Novembri diſſiparetur, Heidelbergam venit ad Iacobum Mycillum, Henricum Stolonem Theologum, & Gervaſium Marſtallerum, à quo prima Ebrææ linguæ elementa didicit; deinde Tubingam, ubi maximam æſtatis partem conſedit, & Erhardum Sneppium, & Philippum Imſerum, Ioannis Stofleri diſcipulum, Theorias planetarum, & rationem calculandi motus & eclipſes ex tabulis reſolutis docentem, præcipuè audivit. Reſtituta verò in integrum Academia, ſingulari benignitate novi electoris Saxoniæ Mauritii, qui Philippum revocarat, anno vix elapſo VVitebergam reverſus eſt, ibiq; curſum ſtudiorum inchoatum ſedulò urſit, metuens novam fortaſſe ſcholæ imminere turbationem, propter callida nimis & calida conſilia, de Sphinge Auguſtana, in Eccleſiis Dei à Pontificio fermento repurgatis uſq; ad Concilium generale recipienda, & alia, quæ non minus periculi portendere videbantur. Sed Deo clementer Academiam protegente, tanta diſcendi cupiditate, & ardore cognoſcendi veritatem & ſapientiam flagravit, ut anno 49 alios docere inceperit, non modo dicendi artes, verum etiam Theologiæ & Aſtronomiæ initia, quibus rationem & modum componendi Calendaria annua adjungebat. Ex quo labore triplicem, ut ipſe fatebatur, utilitatem cepit: Primùm, hæc exercitatio diligentiam illius acuit, ut perfectè &

plenè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

plenè cognoſceret ea, quæ aliis propoſiturus erat. Deinde, innotuit ea ratione multis ſtudioſis adoleſcentibus, & aliis viris bonis, etiam in diſſitis locis, qui honeſtè de eo ſentire cœperunt. Poſtremo, peculium ſibi mediocre paravit, laborem hunc grata auditorum liberalitate compenſante, quo Italiam adire, ipſamq́ urbem Romam videre, & alia loca perluſtrare potuit. De aliis nihil hîc dicam, qui hac ipſius induſtria inflammati eum expetiverunt; In noſtra quoq́ Academia hiſce exercitiis innotuit, & ab Illuſtr. principe Henrico Duce Megapolitano vocatus primùm in hanc Balthici littoris Sareptam venit anno 1550, Ioannem Aurifabrum S S. Theologiæ Doctorem, quem patris loco colebat, comitatus, & ſequenti anno poſtridie Idus Aprilis publicè prælegere incepit, oratione eleganti præmiſſa, quæ ita probata fuit, ut ſenes quidam ad aſtantes collegas dixerint, Hæc principia nobis ſpem faciunt melioris ſcholæ. Neq́ eos fefellit opinio. Quid enim & quantum præſtiterit in explicandis cùm ſacris cùm profanis libris, tradendis bonis artibus, & excitandis diſcentium ſtudiis, intelligitis, ut puto, me tacente omnes; ſi quis ignorat, ſcripta illius, ab ipſo & collegis quibuſdam edita, videat & cognoſcat, hæc ſatis teſtantur, ſanctum hunc virum nulli honeſto labori ignaviam antepoſuiſſe.

Poſſem hic loco convenienti prolixiùs aliquantò recenſere ſcripta illius præſtantiſſima, quæ quaſi pœnu ſunt & refertiſſimum omnis divinæ & humanæ ſapientiæ promptuarium; ſed horum commemoratione longiori nunc lubens ſuperſedeo, & veras propriasq́ illius virtutes breviter expono, quæ fulſerunt in eo eximiæ, à Deo ipſi collatæ, ut alii eas intuentes Deum autorem agnoſcant & celebrent, vitaq́ & moribus exprimere nitantur. Niſi enim vera in Deum pietas multarum rerum ſcientiam ſimul exornet, nihil aut parum ſolidæ laudis hinc quiſquam conſequetur, cùm homini malo & perverſo nihil aliud ſit eruditio, quàm furioſo gladius.

Poſtquam igitur puer olim didicerat, nihil ab homine ſalutariter geri poſſe ſine Deo gubernante & juvante, juxta dulciſſimos illos verſiculos: Nullius eſt felix conatus, & utilis unquam, Conſilium ſi non detq́ juvetq́ Deus, &c. ſingulis diebus primus illius labor erat lectio textus Biblici,

& ſeria Dei invocatio, quâ præmiſſâ vocationis propriæ officia ſedulò exequebatur, & in Deo patre φιλοστόργῳ, per Chriſtum filium mediatorem ſibi reconciliato, tutò acquieſcens, ſcire ſe ajebat, nihil ſibi boni aut mali absq; voluntate illius accidere poſſe, & ſi maximè contraria evenirent, omnia tamen diligentibus Dominum in bonum cooperari.

Regulam vitæ, ad quam omnia conſilia, ſtudia, mores & actiones dirigebat, à Paulo Apoſtolo omnibus Chriſtianis præſcriptam, ſtudioſè ſequebatur: Quæcunq; vera, quæ gravia, quæ juſta, quæ caſta, quæ bonæ famæ; ſi qua virtus, & ſi qua laus, hæc cogitate.

Veritatem doctrinæ cœleſtis de omnibus fidei Chriſtianæ articulis, in verbo Dei, & præceptorum ſuorum θεοδιδάκτων, Doct. Martini Lutheri & D. Philippi Melanthonis, ſcriptis publicè editis, comprehenſæ, perpetuò conſtanter amplexus fuit, docuit, & cuſtodivit, ad extremum usq; vitæ ſpiritum. Neq; id ſolùm in iis rebus, quæ ſalutem animæ concernunt, fecit, ſed in cæteris quoq; artibus vitæ neceſſariis, dictis & factis omnibus veritatis & candoris erat ſtudioſiſſimus, juxta dictum Platonis graviſſimum: δεῖ πάντα ἄνδρα ἓν πρὸς ἓν τοῦτο σπεύδειν, ὅπως μήτε αὐτὸς κίβδηλος ποτὲ φανεῖται ὁπωσοῦν. ἁπλοῦς δὲ καὶ ἀληθὴς ἀεί. Hinc Pſalmi vigeſimi quinti ſententiam ſubinde repetebat: Simplicitas, rectumq; tuum, mea curam, meum cor. & quod apud Homerum fortiſſimus ille Græcorum Achilles legatis Agamemnonis regis reſpondit: ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀίδαο πυλῃσιν, ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζῃ.

Gravitatem perſonæ ſuæ convenientem, in ſermone, geſtu, & actione ſemper coluit, cumq; ea non tàm in vultus torvitate, ut Iſocrates ait, quàm in eo conſiſtat, ut quis nihil inconſtanter & leviter agat, ſumma ille animi contentione ac indefeſſo ſtudio labores ſui muneris in maturo illo ætatis flore ita urſit, ut hæc Academia noſtra, iis temporibus jacens & ægrè reviviſcens, animam ſuam ab ipſo reciperet.

Plures

Plures lectiones, quàm quiſquam alius, eaſq; non facillimas, juvenis eodem tempore in ſe ſuſcepit; collegis nonnullis utiles materias, auditoribus tradendas, præſcripſit, eosq; ſuo exemplo ad ſimilem diligentiam & fidem in docendi officio adhibendam invitavit. Dicam verbo uno, non adumbrata gloriæ imagine, aut antecellentia, ſed vera virtute, laborioſitate, & diligentia cæteris præire glorioſum duxit.

Iactantiam verò & vanitatem, qua ſtulti & improbi homines ſua extollunt, & aliena nequiter deſpiciunt, ut eorum vituperatione ipſi meliores habeantur, ita fugit, ut ſuam imbecillitatem, imprudentiam, & ignorantiam ſæpius multis excuſaret, non modò mediocribus verùm etiam principibus viris, à quibus ad negocia graviora tractanda vocabatur, quæ tamen ſuſcepta feliciſſimè expedire ſolebat. Maluit namq;, exemplo Amphiarai vatis apud Æſchylum, eſſe bonus mage, quàm bonus eſſe videri. Et verè, ut de Alexandro Severo Imp. Dion ſcripſit, ἐμμελὴς ἦν τῶν πρακτέων, ἀμελὴς δὲ τῶν περὶ αὐτοῦ λεγομένων, *Intentus erat in ea, quæ fuerunt agenda, & aliorum de ſe fabellas negligebat.*

Similiter ambitionem, titulos ſplendidos, & honores magnos, à magnis oblatos, ſemper vitavit, cujus rei documentum inter alia evidens eſt illud, quod, cum Ioannes Albertus dux Megapolitanus primùm illi ſolus coràm offerret Epiſcopatum Eccleſiæ Roſtochienſis, ſi pro concione doceret, & poſtea ambo fratres Principes ſupremam inſpectionem Eccleſiaſticam, ac jus convocandi cæteros Superintendentes, ipſi commendaturi eſſent. utrumq; recuſarit. gratias agens pro judicio Principum de ſe honorifico; & quamvis hoc recuſaret, nihilominus tamen ſe id acturum ſuo loco affirmavit, ut in Eccleſiis harum regionum puritas doctrinæ, pax, & concordia inter docentes publica conſervetur, juxta illud apud Philoſtratum, ἐμοὶ τὸ πλεῖστον τῶν πόνων, χρήματα δὲ καὶ τιμὰς ἄλλος ἐχέτω.

Verè etiam χρηςὸς ἀνὴρ κοινὸν ἀγαθὸν erat. Non enim ad privata commoda & gloriam, ſed publicam Academiæ ſalutem, & aliorum utilitatem, conſilia ſua omnia, ſtudia & labores referebat. In ſtudiis κοινωνικὸς erat; privatim nulli ſua officia, operam, conſilium, commendationes, denegabat, à quo ſæpè mundi gratiam reportavit, ſicut Themiſtocles, ſummus ille Athenienſium vir, alicubi conqueritur, ſe platanū civibus ſuis fuiſſe, ad quam orta tempeſtate, ut protegerentur, confugerent, ſed reſtituta ſerenitate abeuntes vellicarent. Publicè verò, ſi quæ occaſiones fuerunt, academiæ emolumenta & ſalutem longè rebus ſuis antepoſuit, idq́; ſæpè non ſine magna valetudinis jactura, unde non immeritò de ſe uſurpare potuit ſymbolum illuſtre, Aliis inſerviendo ipſe conſumor.

Cumq́; voluntas Dei ſit ſanctificatio noſtra, ut abſtineamus à ſcortatione, & unusquisq́; vas ſuum ſciat poſſidere cum ſanctificatione & honore; beatus præceptor noſter caſti pudoris decus, non ſolùm in vita cœlibe, verumetiam in honeſto, tranquillo, & fœcundo conjugio, cum Margarita, Dn Laurentii Smedes, patritii & Senatoris Reipub. hujus filia, annos octodecim; & hac defuncta, cum Margarita Pegelia hucusq́; vivente, religiosè ſervavit. quarum poſterior, diligens, induſtria, & prudens Abigail, viri optimi & fideliſſimi quondam Academiæ noſtræ doctoris, M. Conradi Pegelii nata genuina, verè baculus & fulcrum ſenectutis illius fuit, dum plurimos annos decumbenti omnia conjugalis amoris officia præſtitit, ea fide, ſedulitate, & patientia, ut ſe miſerrimum fore ſæpius diceret, ſi hanc fidam curarum & dolorum ſuorum ſociam amitteret.

Humanitatem, quæ non tantum eſt ſimulatio benevolentiæ, in externis geſtibus conſiſtens, ſed præcipuas virtutes, naturæ humanæ convenientes, utpote bonitatem, ἐπιείκειαν, manſuetudinem, comitatem &c. complectitur, toto pectore amabat; multa poterat eaq́; non levia patienter tolerare, & alios etiam publicæ concordiæ & tranquillitatis cauſa ad diſſimulandas & ferendas multorum injurias cohortabatur, memor dicti Platonis ad Dionyſium tyrannum, Dionem & Eudemum in exilium ejicientem: οὔτε χρυσὸς, οὔτε ἀδάμας οὕτως ἀστράπτει, ὥσπερ ἀγαθῶν

ἀνδρῶν

ἀνδρῶν νόος συμφράδμων, Non ita aurum, neq; adamas ita fulgurat ob oculos, ſicut bonorum virorum conſenſus. Et, quia veræ humanitatis ea vis eſt, ut quoſvis bonos ſine diſcrimine alliciat, non ſolùm familiares & ſtudioſi juvenes quotidie, verumetiam Regum & Principum legati nonnunquam hac tranſeuntes eum inviſebant. Aliquot etiam adoleſcentes Principes ipſi, eorumq; matres, interdum ſalutabant, ut vitam, quantumvis obnoxiam morbis, celebrem tamen & honoratam uſq; ad extremum perduceret.

Quanta verò cura & diligentia fugerit ſcandala, doctrinam & eccleſiam deformantia, καὶ ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ, εἴ τις ἔπαινος, ſectatus ſit, tota ipſius vita loquitur. Cùm enim bona fama ſeu vera gloria eximiæ virtutis comes ſit, quæ labores ſuæ vocationis fideliter facit, & de eccleſia & rep. benè mereri ſtudet: unum hoc egit toto vitæ tempore, ut non aliorum obtrectationibus, contemtu, & oppreſſione, juxta verbum vulgatum, ὄφις ἂν μὴ φάγοι ὄφιν, μήποτε γενήσεται δράκων, ſed propria virtute, ſtudia & labores omnes Deo probante, & eccleſiam ac diſcentium ſtudia, & alios juvante, emergeret & benè audiret.

Nec verò, quid aliis in locis, ad deliberationes rerum eccleſiaſticarum vel ſcholaſticarum evocatus egerit, recenſere hoc loco libet, alibi fortaſſe copioſius exponetur, cùm mihi nunc propoſitum ſit, brevi elogio pietatem & mores dulciſſimi parentis honeſtiſſimos celebrare. Domi in Academia doctrinam cœleſtem, philoſophiam, & hiſtorias, ſingulari dexteritate, fide, & aſſiduitate docuit, & Latinos ac Græcos autores, Herodotum imprimis & Thucydiden interpretatus eſt. Certum diſcendi ordinem, & rectam ac compendiariam viam ad ſalutarem eruditionem, & ſingularum artium nucleos, in libro, cui titulus eſt Regulæ ſtudiorum, adoleſcentibus ſtudioſis monſtravit. Verè etiam libellus aureolus eſt, qui virtutum deſcriptiones & vitæ regulas aptiſſima methodo tradit. Inter alios liber de morte & vita æterna luculentus eſt, doctrinæ & veræ conſolationis pleniſſimus. Taceo Chronologiam, Rhetoricen, & alia. Sed graviores lucubrationes ſunt, quibus Pentateuchum Moyſis, Prophetarum omnium principis, quem Oceanum Theologiæ veteres ap-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

*teres appellant, hiſtoriam Ioſuæ, Iudicum, Ruth, Prophetas aliquot mi-
nores, & Syracidæ ſapientiam illuſtravit. Novi teſtamenti libros
omnes publicè in ſchola prælegit, hoc modo, ut primùm locos doctrinæ
excerperet præcipuos, deinde verba & phraſes obſcuriores illuſtraret, de-
niq; uſum doctrinæ cœleſtis in exercitiis veræ pietatis & quotidianæ in-
vocationis aperiret. Quales autem annotationes illæ fuerint, ex lucu-
lenta enarratione Euangeliſtæ Matthæi, & Apocalypſeos Ioannis, &
ereptis ex incendio domus collegii, ubi tum muſæum habebat, reliquiis
ſcholiorum in Ioannem Euang. & Acta Apoſtolorum, æſtimari poteſt.*

*Onomaſticon etiam Theologicum edidit, quod in omnes ſacræ ſcri-
pturæ libros & in totam eccleſiæ hiſtoriam eruditiſſimi indicis loco eſſe
poteſt. Fratri ſuo Nathani adoleſcenti, cujus ſtudia tum guberna-
bat, non modò autor & hortator fuit, ut ſtili materiam faſtos deligeret,
ſed & manu propria quaſi œconomiam & formam ſuſcipiendi hujus ex-
ercitii praſcripſit, ſicut ipſe in ſua ad candidum lectorem præfatione plu-
ribus fatetur. Alteri cuidam ſeriem actorum & deliberationum de Re-
ligione, in Comitiis anno 1530, cum Confeſſio primùm Carolo V. Imp. ex-
hiberetur, ex diverſis ſcriptis Lutheri, Philippi, & aliorum, qui delibe-
rationibus iſtis interfuerunt, coagmentatam, propoſuit, unde Hiſtoria
Auguſtanæ Confeſſionis originem ſuam traxit. Sed ſcriptis ab eo editis
nunc plurimæ gentes tanquam divini ingenii fructibus ſalutaribus per-
fruuntur, ut qualia ſint non difficulter poſſit cognoſci.*

*Vita ipſius interior & domeſtica ſpeculum fuit aſſiduitatis ſtudio-
rum, diligentiæ in officio, pietatis, modeſtiæ, ſobrietatis, caſtitatis, bene-
ficentiæ, veritatis, & aliarum virtutum Deo placentium. Ingenio erat
melancholico & pœnè Socratico diſcendi cupidiſſimus, & propoſita celer-
rimè arripiens, nec pudebat eum jam ſenem factum à cujuscunq; opificis
magiſtris dubia & ignota doceri, id quod de Solone etiam memoratur.
Cùm enim in lecto, morti proximus, decumberet, inaudiſſetq;, aſſidentes
amicos de re quapiam ſummiſsè, ne ipſi moleſtiam parerent, diſputantes,
erecto ut potuit, jam ſemimortuo capite, rogabat eos, ut aliquantò lo-
querentur elatiùs, & ſibi diſceſſum è vita facerent jucundiorem, ſi etiam
moriens aliquid diſcere poſſet. In ſuſceptis laboribus conſtans & ſe-*

dulus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

dulus erat, quibus ſemel inchoatis inhærere & immorari poterat, donec ad finem optatum perduceret. Seipſum & ſua extenuare & pro nihilo ducere ſolebat, aliorum ſapientiam & induſtriam extollebat. Summa, ajebat, mea ſapientia eſt, quod ſcio, me nihil ſapere, nec quicquam fiducia ſapientiæ propriæ ſuſcipio, ſed à Deo rerum agendarum conſilia & rationes peto, & me intra vocationis metas contineo. Summa mea pietatis eſt, quod impietatem meam utcunq; agnoſco & deploro, & libenter pius eſſe velim. Gloria & ſplendor nominis noſtri Chriſtus, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio, apud quem vivemus in omni æternitate. Amplum nomen & claritatem popularem in his terris plæriq; neſcimus, antequam pœnitere cœpit, contemnere. Vſibus deniq; edocti, cum ſævum præluſtri fulmen ab arce ferit, ſerò nobis & Chriſto vivere optamus.

De ignominia & infamia, iniquis malevolorum aut potentum judiciis bonos premente, graviſſimè Senecam pronunciaſſe dicebat, Neminem pluris æſtimare virtutem, quàm qui boni viri famam perdidit, ne conſcientiam perderet. Idem, Contumeliis, quæ vulgo tales habentur, nimio otio ingenia noſtra infirma & muliebria, & inopia veræ injuriæ laſciventia, commoveri, ait. Venit tandem mors φαρμακευτικὴ κάθαρσις omnium malorum, quæ omnes pares facit, & victo victoriq; finem æquè maturum aſſignat. Tales erant crebri ipſius ſermones, de ſtudio εὐφημίας, ſeu bonæ famæ & gloriæ, quæ non tam in vulgi applauſu & acclamatione populari, quàm in æterna Dei & Eccleſiæ cœleſtis conſuetudine, & in propriæ conſcientiæ aliorumq; bonorum & rectè judicantium judicio & cenſura conſiſtit. Omnia enim facilè contemnere ajebat eum, qui ſe moriturum eſſe ſeriò cogitaret. Quod ſanè præceptor hic noſter communis, cujus memoria eſt in benedictione, poſterioribus vitæ annis quotidie fecit, cum nulla de re ſæpiùs & libentiùs quàm de morte loqueretur, quæ ſingulis horis & momentis expectanda eſt, & homines in Chriſtum credentes, à triſtiſſimo onere peccati, & ſæviſſimis procellis variarum miſeriarum, calamitatum, ærumnarum & dolorum liberatos, in lætiſſimum vitæ æternæ portum & ſecuram tranquillitatem traducit.

Cumq́

Cumq; interea cariſſimæ conjugis Margaritæ, trium filiorum, Davidis, Matthæi, & Davidis ſecundi, & quatuor filiarum funera vidiſſet: varia ſibi mortis exempla domeſtica proponi ajebat, ex quibus ſe Davidis junioris filii fatum electurum dicebat, ſi optio daretur, quem intra biduum catharrus vehementior extinxerat; quod illius votum ratum quoq; fuit. Et ex hiſce crebris domeſticis funeribus liber de morte & vita æterna primùm natus eſt, quo in lucem edito, mundo huic immundo valedixit, ejusq; curis, contentionibus & certaminibus, in quibus multi de propria κενοδοξίᾳ magis & privatis odiis, quàm de vera religione Chriſtiana argutè & contentioſè rixarentur. Dignos quidem omni laude cenſebat eos, qui ſe muros opponunt pro domo Domini, & ſacroſanctum depoſitum doctrinæ cæleſtis omnibus modis docendo, ſcribendo, & diſputando ſartum tectumq; conſervant: ſed de cæteris interdum hoc uſurpabat: Non eam mihi doctrinæ facultatem, neq; id ingenii acumen arrogo, ut de aliorum erroribus pronunciare, & mihi tribuere, quod aliis detrahatur, audeam. Et magis benè exiſtimantium de me eruditorum teſtimonio mihi opus eſſe confiteor, quàm errores illorum exagitando eximiis Dei donis, in eos collatis, decedere aliquid exiſtimem. Quis enim hominum non ſæpè errat? qui patres & doctores eccleſiæ Græci & Latini non ſæpe lapſi ſunt? Vtinam experiantur cenſores illi alienorum errorum, quid ſit ſcribere & loqui absq; errore! Aſinis non expertis omnia nota ſunt & facilia. Ex quo apparet liquidiſſimè, virum hunc magnum ſua quoq; errata & nævos in ſe agnoviſſe, & ex propriæ infirmitatis conſideratione aliis errantibus judicem fuiſſe æquiorem. Nullus ſanctus, inquit Auguſtinus, tam juſtus eſt, qui peccato careat. Nulla eſt domus tam ſancta, in qua peccator non inveniatur. In arca Nohæ inter octo homines reprobus unus fuit; in domo Abrahæ ſuperba ancilla & filius petulans; in domo Iacob filius lectum patris inceſtat; in domo David filius cum ſorore concubuit, & filius contra magnam patris manſuetudinem rebellavit; in cohabitatione ipſius Domini Chriſti undecim boni perfidum & furem Iudam tolerarunt.

Appropinquante ſenecta, quæ ipſa morbus eſt, perpetuis ferè & continentibus doloribus capitis, renum, & arthritidis conflictabatur, ut

ſæpiſſimè

ſæpiſſimè decumberet, & non ſolùm pedes ſed manus quoq; officio ſuo ægrè fungerentur. Nec tamen in iſto ocio, non ſemper optato, planè deſes aut ocioſus fuit; in lecto decumbens, ſi quæ intervalla morbi concedebant, pſalmi triceſimi ſecundi explicationem, olim inchoatam, finivit; libros pleroſq; à ſe editos recognovit; epiſtolam S. Pauli ad Romanos integram familiaribus quibuſdam, apud eum domi convenientibus, interpretatus eſt, & alia nonnulla.

Totam verò hiſtoriam Saxoniæ & vicini hujus orbis Arctoi his poſtremis vitæ annis recenſuit, unde levationem ægritudinum, & animi recreationem potiſſimùm petebat. Qui labor pertexendæ hiſtoriæ Arctoarum gentium etſi alienus quibuſdam viſus fuit, & propterea nonnihil moleſtiarum & offenſionis ipſi peperit: nullum tamen dubium eſt, quin Deo probetur, qui eum mandavit, & inſignes vitæ humanæ utilitates afferat.

Dies Dominicos & feſtos lectione enarrationum Euangelicarum Philippi utplurimùm tranſegit, eaſq; multum mihi & amicis aliis commendare ſolitus eſt, quando totius Chriſtianæ fidei ac vitæ ſummam, & omnis divinæ & humanæ ſapientiæ rivulos limpidiſſimos in his contineri affirmabat.

In morbis ſuis diuturnioribus & gravioribus rariſſimè pharmacis uſus eſt, cùm natura ab iis abhorreret. Et quamvis ipſe medicis bonis & medicinæ ſuum locum & honorem debitum tribuebat: tamen afflictam corporis ſui valetudinem, juxta Celſi regulam, ſola ferè patientia. quiete, & abſtinentia curare ſolebat. Hoc namq; edere & bibere, quod poſſis, nutrit corpora, voluptate afficit, & ſana conſervat, teſte Chryſoſtomo. Et Platonicum illud de multis Cauſidicis & medicis in Repub. ſæpè jocans repetebat, injuſtarum cupiditatum & intemperantiæ civium indices eſſe, quos mori Reipubl. utilius eſſet, ſi diæta morbos arcere & depellere non poſſent, quàm medicorum ope reſtitui.

Imaginem Chriſti in cruce pendentis, parieti in muſeo affixum, quotidie mentis & corporis oculis cupidiſſimè intuebatur, cui grandiuſculis litteris ſententias conſolationum euangelii illuſtriores, & precatiunculas, ad ſeptem dicta in cruce accommodatas, aſſcripſerat. Confeſſionem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]

quoq; fidei, & precationem prolixiorem ad eum uſum ſibi multò antè delineaverat, quam ſymboli Apoſtolici recitationi ſubinde adjungebat, aut prælegi ſibi jubebat. Donec tandem inter has preces, vota & confeßiones, proxima die Mercurii, paulò ante horam noctis duodecimam, anno ætatis ſeptuageſimo primo, placidißimè, mente integra ad extremum usq; ſpiritum manente, diſceßit, ex hac miſeriarum valle, in cœleſtem Academiam, & beatam cum Deo cœleſtiq; eccleſiæ conſuetudinem translatus, ubi in cœtu Prophetarum, Apoſtolorum, Lutheri, & cæterorum cœleſtium doctorum verſans, plenè jam liberatus defecatusq; ab omnibus peccatorum ſordibus, non tantùm glorioſè lucet, perpetuaq; beatitudine fruitur, ſed etiam Deum perfectè agnoſcit, & beneficia ejus verè celebrat, gratias illi immortales agens, quod de labore ad requiem, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem emigravit.

De qua felici migratione, & ſempiterna cum Chriſto redemptore converſatione, etſi ipſius quidem animæ, ex carcere corporis imbecilli & aßiduis morbis obnoxii eductæ, & ab omni dolore & cruciatu liberatæ, gratulamur, noſtra tamen cauſa dolemus, lumen hoc & ſydus Academiæ noſtræ ſplendidißimũ extinctum eſſe, non immeritò cum Eliſæo Propheta, Elia per turbinem in cœlum avecto, exclamantes: Quò abis, pater, quò abis, currus & auriga Iſrahel? & cum Andromache illa Homerica, maritum ſuum in aciem contendentem ſic compellante; μίμνε ἕκτορ, Ϲύ μοι ἐσὶ πατὴρ ϗ πότνια μήτηρ, ἠδὲ κασίγνητος. Ipſe namq; verè hæc omnia Eccleſiæ & Academiæ noſtræ, multisq; bonis fuit, qui haud dubiè de morte illius, ubi eam cognoſcent, Admeti melos, quod in proverbio dicitur, paßim decantabunt. Sed ut dixi, divinæ voluntati, quæ ſemper optima eſt, non debemus aut poſſumus reluctari.

Cùm autem nullum aliud defuncto præceptori noſtro officium à nobis præſtari nunc poßit, quàm ut grati honorificam illius memoriam perpetuò conſervemus: æquum eſt, ut doctrinam & ſcripta illius amemus, iisq; nos erudiamus & confirmemus, & virtutum exempla, quæ nobis illuſtria reliquit, pro tenuitate noſtra imitemur. agamus etiam DEO gratias, quod tam eximio doctore & præceptore, quem tot reges & principes viri

cipes viri in exteris etiam gentibus expetiverunt, hanc noſtram Academiam dignatus ſit, cujus nominis celebritate ipſa quoq; non parum ſplendoris accepit, ut majora ſileam, quæ huic Atlanti ſuo, à quo quinquaginta fermè annos geſtata fuit, ſecundum Deum accepta refert. Ideò enim Deus excellenti virtute illuſtres homines ornat, ut alii in eorum exempla intuentes vita ac moribus exprimere ſtudeant & imitari, & virtutis autorem ipſum Deum agnoſcant & celebrent, ſicut ſcriptum eſt: Laudate Dominum in ſanctis ejus.

Dominus Ieſus Chriſtus, qui in altum aſcendens ſedet ad dexteram patris, & dona dat hominibus, piè nunc decedentium præceptorum loca aliis ſalutaribus doctoribus clementer ſuppleat, ad inſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti, donec omnes perveniamus in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenè adultæ Chriſti, ut Apoſtoli verbis utar.

D I X I.

MANIBVS
Magni illius
DAVIDIS CHYTRÆI.

Relligio, probitas, doctrina, modeſtia, candor,
Et cunctæ ingenij no lioris opes,
Siſtere ſi poſſent properan   penſa Dearum,
Quæ promta carpunt optima quæque manu,
Næ tu Cumæi ſuperaſſes pulueris annos,
Sæcula vel Pylij, magne CHYTRÆE, ſenis,
Nec tua ad Arctoum fleremus funera Varnum,
Nec tecum, eheu, vno clauſa forent tumulo
Relligio, probitas, doctrina, modeſtia, candor,
Et cunctæ ingenij nobilioris opes.

ALIVD.

Conderet immitis noſtro dum Parca CHYTRÆO
Lumina, perpetuos digna nitere dies,
Lugubreis Phœbi radios cœlumque videres
Aſsiduas ſenſim ſoluier in pluuias.
Scilicet ipſa nouum teſtantur ſidera luctum,
Suppeditant noſtris & lacrymas oculis.

MARTINVS CHEMNITIVS IC.
luctu deſiderioq; plenus C. L. PP.

QVod te dia ſuo Sophie miſceret Olympo,
Indigetesque altè ſiſteret ante Deos,
Quod delinificæ Suada potiore loquelæ
Omne hominum raperes in tua rura genus,

Quod tibi tota æui duplicis monumenta paterent,
Siue ea geſta toga, ſiue ea geſta ſago,
Quod cumulareris cunctis vne artibus, olim
Quæ poterant magno vel populo eſſe ſatis:
Clarabare orbis triplici ipſe CHYTRÆE theatro,
Ibat & in plauſus concio trina tuos;
Iſta tamen laudum, me iudice, parua tuarum
Portio, terque magis cur colereris erat,
Quod nullo liuoris iniquo felle tumeres,
Neſciresque datam contemerare fidem,
Quod cilio elato nulli faſtoſus, amicos
Ipſe tibi faceres quoslibet eſſe pares,
Quod nihilum tegeres penetrali cordis in imo,
Quam vultu faceres colloquioque palàm.
Hæc ſanè vnica erant, quei ſuſpicerere GRVTERO,
Iamque adeò haud hominem rerer at eſſe Deum.
Sin hominem, tum certè hominem, cui perſimile ætas
Nulla aliquando tulit, nulla aliquando feret.
Ah homo quod fueris, iam funere prodis, at illud
Mox etiam prodet poſthuma quæque dies
Nempe fuiſſe CHYTRÆE hominem, cui perſimile ætas
Nulla aliquando tulit, nulla aliquando feret.

IANVS GRVTERVS. I. V. D.
Profeſſor Academiæ Heidelbergenſis.

PAx tua Roſtochium, tua lux Germanica Balthe
DAVID CHYTRÆUS ceſsit ad aſtra poli.
Ergo Varniades ſacram diſqvirite pacem
& tu nunc Balthe lumina funde nova.

MARTINUS NIGRINUS. I. U. D.

EPITAPHIUM

Κάλλιμόν ἐστι Θεοῦ δῶρον χθονὶ ἐν πολυκάρπῳ
Κῆρυξ σπουδαῖος θεσπεσίοιο λόγου,

Ἐκ θησαυροῦ ἑοῦ προφέρων νέα ἠδὲ παλαιὰ,
    Ἀντιδίκων τ' ἀθέτων δόγματα ἐκλόμενα.
Τοῖος ἔην ΧΥΤΡΑΙΟΣ ἀεὶ ζυνετός τε καλός τε.
    Νῦν δὲ θανὼν στοναχὰς εὐσεβέεσσι λίπε.
Κλαίει γὰρ λιγέως Ἐκκλησια, ὀρφανὴ οὖσα
    Τῆς σπουδῆς τούτου ἀνδρὸς ἐπισταμένου.
Χαῖρε πάτερ πάτρης, τεὸν ἐνθάδε σῶμα καθεύδει.
    Ψυχὴ δ' ἀθανάτων τάξιν ἔχει μακάρων,
Τηλαυγεῖ τ' ἴση τῷ ἑωσφόρῳ ἀστέρι λάμπει.
    Οὐκ ἔτι νοῦσον ἔχει, οὐκ ἔτι κῆδος ἔχει.
Οὗτος γὰρ μισθὸς καμάτων ἀντάξιός ἐστι
    Κηρύκεσσι Θεοῦ, ὥσπερ ἔφη Δανιήλ.

ΑΛΛΟ.

Χρηστὰ λέγων, καὶ χρηστὰ γράφων, καὶ χρηστὰ διδάσκων,
    Θεολόγων βασιλεὺς, Ιστορικῶν τε φάος,
Ἐνθάδε κοιμᾶται ΧΥΤΡΑΙΟΣ: πένθεο Πατρὶς,
    Μοχθισμῶν κείνου οὐκ ἐπιληθομένη.

M. IOHANNES POSSELIVS,
communi præceptori, affini & compatri deſideratiſ. P.

ERgò ſuo tandem claro eſt orbata parente
    Hæc Schola? num ſimilem ſêcla futura dabunt?
Præſide CHYTRÆO potuit quid maius haberi?
    Quis ſubeat tanti, munia tanta, viri?
Oſſa igitur reuerere pij, ROSA grata, CHYTRÆI,
    Sic tua, crede mihi, fama perennis erit.

ALIVD.

Si benè tranſactæ, celeberrima gloria vitæ,
    Si candor, pietas, morte perire queunt,
CHYTRÆVS perijt: ſed nunquam gloria, candor
    Nec pietas pereunt, nec perit ille quoque.
Non perit ille igitur? non, ſed nouus incola cœli
    Viuit, & in CHRISTO gaudia lætus agit.

M. HENRICVS POSSELIVS, præceptori & patrono meritiſ. luctu & deſiderio plenus f.

Reverendo, magnifico, nobiliſs. & excellentiſsimo viro,

Dn. JOACHIMO à BASSEVITZ,

διοικήσεως Sverinenſis Præpoſito, Conſilario Megapolitano, Dobbertini Præfecto, Domino in Lævitzoviano, Domino, Patrono, ac amico meo in perpetuum colendo,

GEORGIUS MANCINUS.

MIlleſimo hoc anno, atque ſexcenteſimo
ROSARUM in urbe nudiuſquintus diem
Suum in JEHOVA obIt DAVID CHYTRÆUS is,
Multos in orbe qui viros ſapientia,
Virtute, dignitate, doctrina, & fide
Sic vicit, ut ſplendore ſol aſtra omnia.
Doctiſsimorum non virorum-ne hic oclus?
Debemus huîc nos Allemani plurima,
Non hicce ſolùm Theologus clariſsimus,
Quod cuîque notum; ſed notandum, quod ſimul
Huîc juſti, & injuſti ſcientia aurea.
Hic diſſerebat de arte medica, & Phyſica.
CHYTRÆUS hic præſtans mathematum in ſacris.
CHYTRÆUS hic pulcerrimus morum arbiter.
CHYTRÆUS hic vates bonus, vatum colens.
CHYTRÆUS hic ſvavi loquelâ ſvavia
Sic verba fundebat, ferunt ut Neſtora.
CHYTRÆUS hic hujuſmodi res, verbaque
Tenebat, ut nunquam loquenti res, neque
Verba ipſa deêſſent. quantus Hiſtoricus præ alIs,
Narrabit ignoto, Africa, Aſia, Europaque.
Vin' plura? dius hic vir in mortalium
Fæce. hic decus pernobile omnium Teutonum,

Hic vir

Hic vir bono ſemper cuivis optimus:
Cuilibet bono bona omnia largiens.
In hoc vigens erat uſque 'veriverbium,
Et ritè, QVO QVIS DOCTIOR, EO HUMANIOR.
Profectò hic ipſa humanitas, integritas;
Sinceritas in quo, videbat hic citò;
Facillimè olfaciebat in quo falſitas.
Evellit HISTORIA comas prorſum ſuas,
Clamans ſimul; rapto mihi Polyhiſtore
O tam celebri, tamque præſigni, mihi
Eſt rapta quàm corona præſtantiſsima!
Quis-nam mihi reddet huic ſimillimum?
Hujus CHYTRÆI nomen, & laus, & decus
In orbe terrarum vigebunt perpetim.
Salve ſenex, cæli indiges, ſalve ac vale.
Patrone BASSVITI, Camœnæ amans meæ,
Quàm carus huîc fueris viro doctiſsimo,
Epiſtolæ hujus indicant, miſſæ tibi,
De queis loquuti proximè heic Butzovii,
Ante undecim cùm horas CHYTRÆUS mortuus,
Omninò tum nobis, vide, inſcientibus.
Corpus viri tanti ſepulcro traditum
Ipſo hoc die PETRI, atque PAULLI Apoſtolûm.
Longum vale, vale, atque vive proſperus.

SI qvis erit ſimplex, animi ſine fraude, columba
ut eſt, nocet qvæ nemini:
Serpens ſi qvis erit prudens: poſt fata CHYTRÆUS
verè fuiſſe dicitur.

Abraham Drentwet Auguſtanus.

3383.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3383 4° [43,-17]